

Plane Robertum Ketenensem Alcorani interpretem, qui hoc sæculo vixit, atque ex Oriente redeuntem, atque in Hispania Pampilone obtento sacræ ædis archidiaconatu hærentem, magno stipendio ad id opus conficiendum Petrus Cluniacensis conduxisse dicitur, agnovere Nicolaus Cusanus in *Cribratione* ejusdem Alcorani, et ex eo Joannes Pitsæus *De illustribus Angliæ scriptoribus*, ad annum 1143, et Aubertus Miræus in auctario *De scriptor. eccles.*, cap. 373, et post alios Augustus Pfeiffer Saxo in *Fasciculo dissertationum philologicarum*, dissertatione 4. Qui tamen, Erpenii fide, huic Ketenensi comitem in ea translatione adjungit Hermannum quemdam Dalmatam.

Quo motus utique laudatus Siruela noster suspicabatur fuisse olim cum versione Alcorani compactum in eodem codice aliquod aliud opus ex Arabico id etiam in Latinum conversum a Petro Toletano, ejusdem Petri Cluniacensis jussu, ad quod referri hæc nota posterior debeat. Sed bene potuit Cluniacensis iste abbas binum interpretem applicare operi, quod optime conversum haberi cuperet, cum vel Ketenensis ea translatio hodie a multis culpetur *tanquam parum accurata, et extra manifestas historias veram Arabismi sententiam satis raro fideliter exprimens*, ut verbis loquar ejusdem Erpenii (2); sive *ineptissima est et sententias misere subvertens, strigosa ad hæc nonnunquam et exilis in nimiam statim molem assurgit, ut nemo inde Alcorani intelligentiam sibi spondere queat*; quod in libro secundo de interpretatione Petrus Daniel Huetius ait. Et Joannes Albertus Widmestadius, jurisconsultus Germanus in *Theologiæ suæ Machometi et epitomes Alcorani* (quam Norimbergæ anno 1543 editam vidit Alphonsus Ciaconius, quod in schedis docet) præfatione admonet Ketenensis translationem epitomen tantum Alcorani esse. Præterea et a Josepho Scaligero Petrus Toletanus, ut Alcorani interpres, alicubi laudatur, quamvis inter eos qui huic studio incubuerunt, tam in Latii, quam in aliarum gentium idiomata id opus vertendi, laudatus nuper Pfeiffer, qui eos collegit, de Petro isto sileat (3).

(2) Ad *Suratam* 12 Alcorani quam edidit præfatione ad versionem antiquam.

(3) Vidimus Martini Siruelæ et nostri de vero Alcorani libri interprete conjecturas: e quibus ea mihi magis arridet, quæ e Joannis Alb. Widmestadii præfatione descendit, nimirum *Ketenensis translationem epitomen tantum Alcorani esse*; seu quod eodem redit, Ketenensem Alcorani librum primum in epitomen redegissem, moxque Arabicam ejus epitomen in Latinum sermonem transtulisse. Consonat Gesnerus in eo, inquit: *Alcorani libros IV in epitomen redactos transtulit in sermonem Latinum*; et Tannerus loco citato, qui Ketenensem in epitomen redegissem (ait) *et ex Arabico in Latinum Manumeti-Alcoranum. De Petro autem magis trot. Toletano* sinceri id est integri Alcorani textus interprete, dubitare non sinunt quatuor unius labii codices in

quibus legitur *Alcorani librum Petri Cluniacensis monitu aut jussu ex Arabico in Latinum ab eo translatum fuisse*. Quæ si cum iis conferas quæ præfati codices in ipso inscriptionis seu nuncupationis libri limine uno quasi ore de Ketenensi habent, nimirum *Robertus Ketenensis librum istum (Alcorani) transtulit*: postrema hæc multo præ iis, quæ de Petro Toletano in iisdem codicibus, leguntur generaliora esse, nec Librario minus seu codicis exscriptori, quam interpreti accommodari posse deprehendes. Quibus addes Petrum Toletanum, *ut Alcorani interpretem* alicubi a Josepho Scaligero laudari, ut Noster hoc eodem numero innuit. Annum autem quo Coria urbs Saracenis erepta fuit quatuor memorati codices 1143 a Christo nato designant; cl. tamen Florezius magno nisu 1142 sive æram MCLXXX fuisse contendit t. XXI, pag. 314, n. 20.

ROBERTI RETENENSIS

PRÆFATIO

AD PETRUM VENERABILEM

IN LIBRUM LEGIS SARACENORUM QUAM ALCORAN VOCANT, A SE TRANSLATUM

(Exstat supra col. 657 Petri Venerabilis libro contra Saracenos præmissa.)

ANNO DOMINI MLVIII

WIBALDUS

ABBAS STABULENSIS ET CORBEIENSIS

NOTITIA HISTORICA

(FABRIC. *Bibliotheca mediæ et inf. Latinitatis*, t. VI, p. 319.)

Wibaldus, aliis *Guibaldus*, *Wiboldus* et *Cuicboldus*, claro genere apud Leodios natus, ex nobilibus scilicet *de-Pratis*. Ab ipsis incunabulis in monasterio Stabulensi educatus fuit, deinde ad Leodiensium scho-